

opusdei.org

Capítulo primero del Codex Iuris Particularis del Opus Dei de 1974.

“El itinerario jurídico del Opus Dei. Historia y defensa de un carisma”. Libro escrito por A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

11/02/2012

AGP, Sezione Giuridica, VII/15661.

**SOCIETAS SACERDOTALIS SANCTAE
CRUCIS ET OPUS DEI**

CODEX IURIS PARTICULARIS

CAPUT 1

DE NATURA ET FINE OPERIS DEI

1. Institutum, cui titulus Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis et Opus Dei, breviato autem nomine Opus Dei, est [Institutum saeculare] iuris pontificii, clericis et laicis simul compositum, sanctitati in mundo promovendae et apostolatui exercendo dicatum. Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis, quae sacerdotibus Institutionis constituitur, proprio spiritu et ministerio universum Opus Dei vivificat atque ita informat, ut ipsum clericale eo sensu reddat quod praecipua regiminis munera plerumque sacerdotibus reserventur. Institutio est proinde clericalis ad normam huius Codicis et iuxta Sanctae Sedis specialia praescripta vel indulta, quin ea de causa socü laici iuribus et privilegiis clericorum

gaudeant neque umquam
clericalibus officüs subüciantur.

2. § 1. Aspectus genericus finis Operis
Dei est sociorum sanctificatio per
exercitium in proprio cuiusque statu,
professione ac vitae condicione
[consiliorum Evangelii
ceterarumque] virtutum
christianarum, secundum ius
peculiare ipsius Operis Dei eiusque
spiritualitatem, prorsus saecularem.

§ 2. Specificus autem est totis viribus
adlaborare ut personae omnium
condicionum et statuum civilis
societatis, et in primis quae
intellectuales dicuntur, Christi
Domini praeceptis integro corde
adhaereant ipsaque, etiam ope
sanctificationis proprii
uniuscuiusque laboris professionalis,
in praxim deducant, in medio
mundo, ut omnia ad Voluntatem
Creatoris ordinentur; atque viros ac

mulieres informare ad apostolatum
item in mundo exercendum.

3. Media quae, ad hos fines
supernaturales obtinendos, socū
Operis Dei adhibent, haec sunt:

1° impensa vita spiritualis orationis
et sacrificii, iuxta spiritum Operis
Dei: ipsorum enim vocatio est
essentialiter contemplativa, fundatur
in humili ac sincero sensu filiationis
divinae et subridenti ascetismo
constanter sustinetur;

2° profunda ac continua institutio
ascetica et doctrinalis religiosa, ad
personalia cuiusque adiuncta
accommodata atque in ecclesiastico
Magisterio solide innixa, necnon
constans studium acquirendi et
perficiendi necessariam
formationem professionalem
propriamque animi culturam;

3° imitatio vitae absconditae Domini
Nostri Iesu Christi in Nazareth, etiam

in sanctificatione proprii laboris
professionalis ordinarii, quem,
exemplo et verbis, convertere
satagunt in instrumentum
apostolatus, unusquisque propriam
attingens actionis sphaeram, prout
sua cuiusque cultura et aptitudo
expostulant, sciensque se esse debere
tamquam fermentum in massa
humanae societatis latens; item,
seipsos sanctificent socü in perfecta
adimplitione huius laboris, peracti
quidem in constanti unione cum Deo;
necnon per ipsum laborem alios
sanctificent;

4° omnes Operis Dei socü se obligant
ad exercitium laboris professionalis
vel alterius aequipollentis non
derelinquendum, quia per ipsum
sanctificationem persequentur;

5° quam maxima fidelitas in
adimplendis offcüs proprii status
necnon in actione seu professione
sociali cuiusque propria, summa

semper cum reverentia pro legitimis societatis civilis legibus; itemque in laboribus apostolicis perficiendis, a Directoribus ipsis commissis.

4. § 1. Sacerdotium ministeriale clericorum et commune sacerdotium laicorum intime in Opere coniunguntur atque se invicem requirunt et complent, ad exsequendum in unitate vocationis et regiminis, finem quem Opus Dei sibi proponit.

§ 2. In utraque pariter Operis Dei Sectione, virorum scilicet ac mulierum, eadem est unitas vocationis, spiritus, finis et regiminis, etsi unaquaeque Sectio proprios habeat apostolatus.

5. Opus Dei tamquam Patronos habet Beatam Mariam semper Virginem, quam uti Matrem veneratur, et S. Ioseph, eiusdem Beatae Mariae Virginis Sponsum.
Peculiarj devotione socü

prosequuntur SS. Archangelos
Michatrlēm, Gabrielem et
RaphaUlem, atque SS. Apostolos
Petrum, Paulum et Ioannem, quibus
universa Institutio eiusdemque
singula actionis genera specialiter
consecrantur.

A. de Fuenmayor, V. Gómez-
Iglesias y J. L. Illanes

pdf | Documento generado
automáticamente desde [https://
opusdei.org/es-es/article/capitulo-
primero-del-codex-iuris-particularis-
del-opus-dei-de-1974/](https://opusdei.org/es-es/article/capitulo-primero-del-codex-iuris-particularis-del-opus-dei-de-1974/) (10/03/2026)